



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Quartus. Tam diu in spiritu diuino eleuatur, quousq[ue] ad summum eius pertigerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

priusquã ad puram intelligentiam summi Boni in actus exercitio admittatur; & adæquatè seu ita purè diligit, sicut intelligit, & contrà, ita scilicet purè intelligat, sicut diligit. sic porro pia anima constituta, qualiter ad Nunc præsens, fructuosè se habere debeat, consequenter dicemus.

Tam diu in spiritu diuino eleuatur quousque ad summum eius pertingerit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Qui diligit a me, diligitur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. ac si diceret, ô pia anima, ea est amoris vnitiui præstantia, vt tandem ad summum sibi proportionatum pertingat, & in ea quantum fieri potest, Deus seipsum manifestet, per tam cœlestem ascensum; indies magis ac magis diuinæ naturæ consortium distribuendo, idque distinctis operationibus ad intra, quibus fructio mystica continuatur.

Formatio itaque præambuli, seu imperfectæ quidem operationis in se; perfectæ tamen dispositionis ad puram operationem; sit; quod pia anima de centrali regione, vel vbi, nihil ampliùs sciat; spiritus proprii autem mentalem situm, vt sub se videat; spiritus autem diuini regionem, vt sibi intimè diffusam, possideat: dein pro actus exercitio pura intelligentia, summi Boni præ-

stantem bene-afficientiam, vt intimè sibi vnitam comprehendat. quo facto ipsa spiritus fœcunditas bonum illustrans, vitalem illius bene-afficientiam subtiliorem, & penitiùs amandam perficiet: & ex magis intensa fructione, magis continuò illuminabit. hæc enim duo in sua vicissitudine non tantum amoris continuationem; sed etiam subtiliorem, & substantijs separatis magis conformem, reddunt. & eo sensu dicitur, qui diligit me, diligitur à Patre meo, id est, sicut diuini boni, & naturæ operandi principium est Pater, qui bonitatem suæ naturæ per intellectum suum comprehendit, & intelligendo similitudinem sui perfectam, id est, Filium suum generat, ac ex vtroq; Spiritus Sanctus, vt pondus perfectum diuini amoris procedit: sic quoq; per hoc quod intellectus, per donum intellectus, habitualiter præexistentem in voluntate diuinæ naturæ communionem actu intelligit & intelligendo illius similitudinem format, pariter ex vtriusque actione intimior fructio amoris producit: vt de nouo per continuationem, productus amor ab intellectus actionibus digeratur, subtilioremq; amorem producat: atq; ita consequenter; & quidem ita, vt à parte rei, & spiritus fœcunda operatione, longè meliùs, & citiùs hæc omnia fiant, quam ipsemet practicus intelligat: hæc tamen, & similia paulatim desinere, & quantumcunq; spiritualia sint, tanquam umbra quæ declinat disparere; constabit ex sequentibus,

Ec 3

In

a Ioan. 14.